



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dispositio Et Perioche Historiae Evangelicae Per IIII.
Euangelistas contextæ, necnon Actuum apostoloru[m],
Epistolaru[m] quoq[ue] Pauli XIII. & Canonicaru[m] VII.**

Bullinger, Heinrich

Tigvri, 1553

VD16 B 9605

Liber I.

urn:nbn:de:hbz:466:1-35634

DISPOSITIONIS
ET PERIOCHES HISTORIAE
EVANGELICAE SECUNDA
DVM MARCVM
LIBER I.



VSPICA TVR historiam euangeli^z Cap. 1.
cum S. Marcus à baptismo & doctrina
Ioannis Baptiste, indicans quid docuerit,
quid de Christo domino testificatus sit, quomodo se gesse
rit, ac Christum dominum baptizarit. His adiicit pro-
tinus quomodo unctionis revelatusq; sit Christus, quomo-
do temptatione graui sit exercitatus, postremo quomodo
prodierit ac regnum dei prædicarit. Hic uero adhibet
sibi ab initio protinus dictorum & factorum suorum
testes, uocans aliquot discipulos, quos formet orbis to-
tius doctores, quando uenerat totū orbem ueritatis do-
ctrina illuminaturus, atq; redempturus ex potestate pes-
cati, mortis, inferorū, atq; Sathanæ. Illis subiungit ma-
ximum doctrinæ Christi effectum atq; uirtutem. Omnes
enim stupent super doctrinam eius. Coercetur imò &
ejicitur sathanas, qui Christo cum tremore cedit.

Postea describitur ipse Christus & uirtus Christi Cap. 2.
omnipotēs, ex factis. Omnes enim morbos curat, omnis
mali pellit, peccata remittit, peccatores iustificat &

EVANGELIVM

restituit integrati. Suppeditantur interim uaria fidelli-
bus exempla, in iis qui Christum imploraturi opem aca-
cedunt, quomodo nos quoq; oporteat accedere ad Chri-
stum. Mox repurgat dominus ieiunia & ferias populi
sui ab erroribus pharisaicis, interim & uires suas de-
Cap. 3. promit, demonstrans se esse filium dei. Cæterum cum ad
hunc modum satis se insinuasset suorum animis, ut iam
intelligere inciperent uirtutem Christi filij dei, ex ipsis
designat duodecim, quibus prædicandi euangelij munus
iniungit, eosdem & potentia edendorum miraculorum
instruit. Deinde ostendit quod successus euangelij &
miracula euangelica uirtuti diuinæ, nō sathanæ aut mæ-
giae sint tribuenda. Sed & suo exemplo indicat quales
esse oporteat uerbi dei prædicatores, qui nimurum re-
nunciarint carni & sanguini, & qui sint filij dei. Ex
Cap. 4. qua occasione protinus differit copiose de semine ex
quo nascuntur filij dei, de auditu uidelicet uel ausculta-
tione uerbi dei, de effectu, ui, successu, & fructu uerbi
dei. Quæ omnia elegantissimis inuoluta & cooperta
parabolis proponit. Adiungit item morbos uitia & pe-
ricula quibus obnoxium est semen dei, ubiq; interim uir-
tutem Christi maximam prædicans.

L I B E R II.

PRAE